



PONTIFICIA
UNIVERSITA
GREGORIANA

Statuta generalia Pontificiae Universitatis Gregorianae

Approbata a Congregatione pro Institutione Catholica die 17 ianuarii 2008

D. G.



1583

N. 806/1979.....



CONGREGATIO
DE INSTITUTIONE CATHOLICA
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS) lectis perpensisque **STATUTIS GENERALIBUS PONTIFICIÆ UNIVERSITATIS GREGORIANÆ**, ad normam art. 7 § 3 Constitutionis Apostolicæ «Sapientia christiana» accurate recognitis, eadem **rata habet atque approbat**; omnibusque ad quos pertinet districte præcipit ut, quæ iisdem definiuntur ac statuuntur, ad effectum fideliter adducant; ceteris servatis de iure servandis.

Datum Romæ, ex ædibus eiusdem Congregationis, die XVII mensis Ianuarii, a. D. MMVIII.

Luca Col. F. de L.

PRÆFECTUS

A. Vincentius Zan'
SUBSECRETARIUS

PROEMIUM HISTORICUM

Pontificiae Universitatis Gregoriana initia posuit S. Ignatius de Loyola qui, anno 1551, Romae scholam grammaticae et humanitatis pro iuvenibus gratis instituit, quae per plura saecula Collegium Romanum Societatis Iesu appellata est.

Anno 1552 **Iulius III** concessit Praeposito Generali, vel de eius licentia, quibusvis ex Praepositis vel Rectoribus Collegiorum, facultatem et licentiam impartiendi gradus academicos studentibus iesuitis Collegii Romani¹. Praemissam vero facultatem et licentiam **Paulus IV**, vivae vocis oraculo, iteravit pro omnibus studentibus anno 1556, primo sui pontificatus² at litterae confectae non fuerunt ob decessum pontificis. Eius successor **Pius V**, ne haesitari possit de concessione facta, decrevit ipso anno 1566 ut facultates concessae suum sortirentur effectum ac si super illis praedecessoris sub eiusdem diei data confectae fuissent³.

Universitatis autem Gregorianae “fundator et parens” reputatur **Gregorius XIII** qui novam sedem Collegii Romani, anno 1584 sollemniter inaugurata, a fundamentis exstruxit et beneficiis privilegiisque auxit, illa extendens cuilibet Societatis collegio studiorum in quo studia philosophiae vel theologiae legerentur⁴. Illa, anno 1607, a **Paulo V**, denuo confirmata et sancita fuerunt⁵.

Per tria saecula, professores Societatis Iesu Collegium Romanum magna laude et amplo successu moderati sunt. Anno vero 1773, suppressa a **Clemente XIV** Societate Iesu, Sancta Sedes illud clero dioecetano gerendum concedidit .

Restituta a **Pio VII** Societate Iesu anno 1814, Collegium Romanum non redditum fuit Societati Iesu nisi anno 1824, quo tempore **Leo XII**, illud Societati concedidit atque iura et privilegia omnia, quae ante suppressionem concessae fuerant Collegio, benigne assignavit et renovavit⁶.

Anno 1870, scholae litterarum, anno vero 1873 etiam scholae philosophiae et theologiae ex aedibus Collegii Romani ab auctoritatibus civilibus expulsae fuerunt, sed Collegium activitatem suam pergit exercendo in aedibus Borromaeis (hodie Collegio *Sancti Roberti* Bellarmini). **Pius IX**, qui maerentibus verbis de spoliatione publice lamentatus est⁷, benigne concessit ipso anno 1873 ut in vicem “Collegii Romani” nostrum athenaeum, in posterum “*Pontificia Universitas Gregoriana*” officialiter appellaretur⁸.

Ultimo decurrente saeculo, et numero studentium et scholarum, institutorum ac facultatum varietate adaucta, Pontificia Universitas Gregoriana ampliores et magnificentiores sedes requirebat, quae, ex voluntate **Pii XI**⁹ apud collem Quirinalem, in Piazza della Pilotta exstructae, die 6 mensis novembris anni 1930, sollemni ritu, dicatae sunt atque in Pactionibus Lateranensibus peculiari ac Universitati favente statuto donantur¹⁰.

Insuper, idem **Pius XI**, “. *ut vera, perfecta pleneque ad temporum necessitates accommodata studiorum omnium ecclesiasticorum Universitas evadat*”, statuit atque decrevit Pontificium Institutum Biblicum et Pontificium Institutum Orientale cum Nostra Universitate Gregoriana consociare ita ut unam efficiant Pontificiam studiorum ecclesiasticorum Universitatem, ea tamen lege ut utrumque Institutum, Biblicum et Orientale, sui iuris esse pergerent¹¹. Praetera, “*singularibus prorsus peculiaris subiectionis a vigilantiae nexibus attentis, quibus Gregoriana Universitas Apostolica huic Sedi ita iugiter devicta est, atque etiam nunc, si unquam alias devincitur, ut Universitatem plenissime iure et nomine Pontificiam*”

¹ Litt. Apost. *Sacrae Religionis*, 22 oct. 1552.

² Cf. A.S.V. Reg. Suppl. 2872, fol. 121v-122r et LETURIA - ALDAMA, ARSI 22 (1953) 550-554.

³ Litt. Apost. *Attendentes proinde*, 17 ian. 1566.

⁴ Const. Apost. *Quanta in vinea*, 7 maii 1578.

⁵ Litt. Apost. *Provisionis nostrae*, 10 febr. 1607.

⁶ Litt. Apost. *Cum multa in Urbe*, 17 maii 1824.

⁷ Enc. *Etsi multa luctuosa*, 21 nov. 1873.

⁸ Supplica “pro gratia et sola signatura”, 2 dec. 1873. Cf. APUG, Fond. Univ.

⁹ Epist. *Quantas curas*, 31 iulii 1922, et Epist. *Ea inter opera*, 5 maii 1924.

¹⁰ AAS 21 (1929) 217.

¹¹ M. p. *Quod maxime*, 30 sept. 1928.

compellendam esse palam dixerimus" decrevit "*ut Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus pro tempore Praefectus, praedictae Pontificiae Universitati Gregorianae ac Pontificiis Biblico et Orientali Institutis cum eadem consociatis, Magnus Cancellarius iam nunc atque in posterum sit*¹². Anno vero 1993, ex voluntate **Ioannis Pauli II**, Magnus Cancellarius Pontificii Instituti Orientalis est Praefectus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus¹³.

Iis nostris diebus **Benedictus XVI**, in allocutione in aedibus Universitatis habita die 3 novembris anni 2006, iterum affirmavit Universitatem Gregorianam concreditam esse a Sancta Sede Societati Iesu illamque, utpote institutionem magni momenti pro Ecclesia universali et Ecclesiis particularibus, primum locum inter prioritatibus Societatis habere debere¹⁴.

Demum, praetereundum non est decursu quattuor amplius seculorum ex alumnis, qui Collegii Romani et Gregoriana Universitatis scholas frequentarunt, anno 2008 ineunte, unus et viginti ad Sanctorum ac sex et quadraginta ad Beatorum honores atque sexdecim ad Summi Pontificatus apicem eVecti hactenus sunt; veteres alumni exstant 62 S.R.E. Cardinales et 936 Episcopi per universum orbem distributi. Numerus vero sacerdotum, religiosorum, et laicorum qui hac in Universitate gradus obtinuerunt difficilis computationis est, cum Universitas, ab anno 1553 existens, circiter 500 gradus academicos annuos impertit per sex Facultates, tria Instituta et quattuor Centra Studiorum specialium.

¹² Litt. Apost. *Gregorianam Studiorum*, 21 iunii 1932.

¹³ Rescrip. 31 maii 1993.

¹⁴ Cf. *Osserv. Rom.*, 4 nov. 2006.

Titulus Primus

De natura Pontificiae Universitatis Gregoriana

ART. 1 – Identitas Universitatis

- § 1. Pontificia Universitas Gregoriana est sacrarum disciplinarum et cum sacris connexarum studium generale in Urbe, a S. Ignatio de Loyola anno 1551 incoeptum, a Iulio III et Paulo IV gradus academicos conferendi facultate ditatum¹⁵, a Gregorio XIII fundatione et exstructis aedibus conditum¹⁶ et ab aliis pluribus Romanis Pontificibus confirmatum et auctum¹⁷. Restituta Societate, Leo XII illud Societati Iesu concredidit¹⁸ et B. Pius IX iussit ut in futuro “Pontificia Universitas Gregoriana” vocaretur¹⁹.
- § 2. Universitati Gregoriana consociata existunt ex voluntate Pii XI²⁰, Pontificium Institutum Biblicum et Pontificium Institutum Orientale, quae Societati Iesu quoque concredita sunt, cum suis respectivis Facultatibus ecclesiasticis quae propriis Statutis reguntur.

ART. 2 – Ius gradus academicos conferendi

- § 1. Inde a sua institutione, Universitas Gregoriana iure gaudet gradus academicos conferendi; quod ius, pluries a Romanis Pontificibus confirmatum, auctoritate Apostolicae Sedis, ad normam *Statutorum Universitatis et Facultatum* exercet.
- § 2. Insuper ipsi Universitati ius competit alios quoque titulos propria auctoritate instituendi eisdemque, sive per se sive per Facultates, ad normam *Ordinationum Universitatis*²¹ impertiendi.

ART. 3 – Peculiaris ad Apostolicam Sedem habitu

- § 1. Utpote concredita Societati Iesu, cuius institutionalis finis est “soli Domino et Ecclesiae, Sponsae eius, sub Romano Pontifice servire”²², Universitas Gregoriana est institutio academica Sedi Apostolicae peculiariter addicta²³, in qua studia excoluntur “una cum reverentia, amore et fidelitate erga B. Petri cathedram”²⁴ in servitium omnium Ecclesiarum²⁵.
- § 2. Romanus Pontifex, per Congregationis de Institutione Catholica Cardinalem Praefectum, qui munere fungitur Magni Cancellarii, Universitatem ipse moderatur et eiusdem Rectorem Magnificum nominat²⁶.

¹⁵ Cf. Iulium III, Litt. Apost. *Sacrae Religionis*, 22 oct. 1552; Paulum IV, M.p. *Attendentes proinde*, 17 ian. 1556 (A.S.V. Reg. Suppl. 2872, fol. 121v-122r; ARSI Instit. 222, fol. 285r-286v; cf. P. LETURIA-A.M. ALDAMA *Archivium Historicum Soc. Iesu*, 22 (1953) 550-554 et Litt. Apost. *Exponi nobis super*, 19 aug. 1561.

¹⁶ Cf. M.p. *Ad futuram*, sept. 1581 (A.S.V., Sect. Brevium, vol. 50).

¹⁷ Cf. praesertim, Pium IV, Litt. Apost. *Exponi nobis*, 19 aug. 1561; Pium V, Litt. Apost. *Aequum reputamus*, 17 ian. 1566 et Litt. Apost. *Cum litterarum studia*, 10 mart. 1571; Gregorium XIII, Const. Apost. *Quanta in vinea*, 7 maii 1578; Paulum V, Litt. Apost. *Provisionis nostrae*, 10 febr. 1607; Leonem XII, Litt. Apost. *Cum multa in Urbe*, 17 maii 1824; Pium IX, Enc. *Etsi multa luctuosa*, 21 nov. 1873; Pium IX, Suppl. “pro gratia sola signatura” 4 dec. 1873 (cf. APUG, Fond. Univ.); Leonem XIII, Litt. Apost. *Dolemus inter alias*, 13 iul. 1886 (ASS 19, 1886, 24); Pium XI, M. p. *Quod maxime*, 30 sept. 1928 (AAS 20, 1928, 309), Litt. Apost. *Gregorianam Studiorum*, 21 iun. 1932 (AAS 24, 1932, 267) et Litt. Apost. *Paterna caritas*, 12 mart. 1933 (AAS 25, 1933, 245); Pium XII, Epist. *Opportuno sane consilio*, 12 aug. 1953 (AAS 35, 1953, 658-664); Ioannem XXIII, Alloc. in aedibus Universitatis, 18 ian. 1959 (*Osserv. Rom.* 19-20 ian 1959); Paulum VI, Alloc. iisdem in aedibus, 12 mar. 1964 (*Osserv. Rom.* 14 mar. 1964); Ioannem Paulum II, Alloc. iisdem in aedibus, 15 dec. 1979 (*Osserv. Rom.* 17-18 dic. 1979); Benedictum XVI, eodem in loco, die 3 nov. 2006 (*Osserv. Rom.* 4 nov. 2006).

¹⁸ Cf. Leonem XII, Breve *Cum multa in Urbe*, 17 maii 1824.

¹⁹ Cf. Pium IX, Supplica “pro gratia et sola subscriptio”, 4 dec. 1873. (cf. notam 17).

²⁰ Cf. Pium XI, M.p. *Quod maxime*, 28 sept. 1928. (AAS 20, 1928, 309).

²¹ Cf. Reg. art. 73.

²² Formula Instituti, 1 MHSI, Const. I, 375.

²³ Cf. Decr. S. Cong. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, 22 febr. 1924 (cf. Arch. S. Cong. de Sem. et Stud. Univ., Fondo Università - Università Gregoriana, Prot. N. 83/24).

²⁴ Cf. Pium XI, Litt. Apost. *Gregorianam Studiorum* (cf. notam 17).

²⁵ Cf. Ioannem Paulum II, Alloc. in aedibus Universitatis Gregoriana (cf. notam 17).

²⁶ Cf. Pium XI, Litt. Apost. *Gregorianum Studiorum* (cf. notam 17).

§ 3 Huius cum Sede Apostolica necessitudinis causa, Universitas Gregoriana peculiaribus iuribus ditatur quae in Pactionibus Lateranensibus sancita sunt²⁷.

ART. 4 – Relatio inter Universitatem et Societatem Iesu

§ 1. Cum Apostolica Sedes Universitatem Gregorianam Societati Iesu commiserit, ipsa Societas libenter accepit missionem quam speciali cura adimplet et de ea coram Ecclesia respondet²⁸.

§ 2. Huius commissionis causa, vitam et docentiae activitatem Universitatis spiritus ignatianus pervadit²⁹. Quapropter:

- a. Vice-Magnus Cancellarius est Societatis Iesu Praepositus Generalis qui, suis consiliis adiutus, proprias functiones ad normam *Statutorum Universitatis* exercet³⁰;
- b. Rector, Vice-Rectores et Decani necnon plerique professores Universitati stabiliter addicti esse debent Societatis Iesu sodales;
- c. Societas Iesu adaequatam ad munera Universitatis obeunda suorum sodalium copiam pollicitur³¹;
- d. sodales Societatis Iesu qua tales a Praeposito Generali Universitati destinantur vel ab ea removentur;
- e. insuper Societas Iesu temporalium sibi pertinentium bonorum usum, usumfructum et administrationem Universitati attribuit et cedit secundum ius proprium eiusdem Societatis.

ART. 5 – Personalitas iuridica ecclesiastica et civilis

§ 1. Apostolica auctoritate instituta, Universitas Gregoriana propria pollet canonica personalitate, civiliter quoque agnita³², et regitur iure communi canonico vigenti, praescriptis in Constitutione Apostolica *Sapientia Christiana* eiusque *Ordinationibus* contentis et propriis a Sede Apostolica probatis *Statutis* necnon ab ipsa Universitate conditis *Ordinationibus*.

§ 2. Quae in *Statutis et Ordinationibus Universitatis* non expresse determinantur, definita esse intelliguntur secundum praescripta Constitutionis Apostolicae *Sapientia Christiana* eiusque *Ordinationum*.

§ 3. In iis quae respiciunt quaestiones academicas vel disciplinares quae superant propriam competentiam, Universitas pendet a Congregatione de Institutione Catholica. In illis vero quae respiciunt res administrativas, regitur tam a lege canonica quam a lege civili Rei Publicae Italiae atque a Constitutionibus Societatis Iesu.

§ 4. Attenta legislatione civili vigenti, Universitas est ens sine lucri scopo (*non profit*)³³.

§ 5. Sedes legalis Universitatis Gregoriana est Piazza della Pilotta, 4, 00187 Roma.

ART. 6 – Relationes internationales et nationales

§ 1. Universitas Gregoriana, cuius missio inde ab initio fuit studentes efformandi ex omnibus nationibus provenientes, confirmat in hodiernis adiunctis suam vocationem universalem quae exigit internationalitatem corporis docentium, praesentiam in associationibus universitariis atque instaurationem relationum academicarum et culturalium cum aliis Universitatibus in orbe terrarum dispersis.

§ 2. Cum Universitas Gregoriana existat in Urbe ex voluntate sui Fundatoris, qui illam prope Sedem Apostolicam, centrum christianitatis, instituere voluit, specialem habitudinem ad organa centralia Ecclesiae atque ad ipsam dioecesim romanam favet.

²⁷ Cf. Trattato tra la S. Sede e l'Italia, 11 febr. 1929, art. 16 (cf. AAS 21, 1929, 217).

²⁸ Cf. Leonem XII, Pium XI et Benedictum XVI (cf. notam 17).

²⁹ Cf. Pium XI (cf. notam 17).

³⁰ Cf. Congregationem Generalem S.I. XXXI, decr. 31 et Congregationem Generalem S.I. XXXIV, decr. 22.

³¹ Cf. Benedictum XVI, Alloc. in aedibus Universitatis Gregoriana, 3 nov. 2006 (*Osserv. Rom.* 4 nov. 2006).

³² Cf. Decr. del Ministro per la Giustizia e per gli Affari del Culto del Regno d'Italia, 26 apr. 1924; cuius exemplar originale in tabulario eiusdem Ministerii asservatur (Div. 7, sez. I, ecc. 426; Rom 13393). Trattato tra la S. Sede e l'Italia, art. 16 (cf. notam 27).

³³ Cf. Legge 222/1985 del 16 dic. 1985.

§ 3. Ad meliorem formationem suorum studentium et ad promovendos valores culturales christianos, alacriter colit relationes cum aliis Universitatibus, Athenaeis et organizationibus civilibus Urbis quae activitatem in ambitu artis, culturae et oeconomiae exercent.

ART. 7 – Peculiaris cum Collegiis nexus

§ 1. Cum integralis formatio clericorum exigit non solum institutionem scientificam sed etiam humanam, spiritualem et pastorem, Universitas Gregoriana suum munus tamquam complementare retinet functioni Collegiorum.

§ 2. Quapropter necessaria reputatur collaboratio activa inter formatores in Collegiis et professores Universitatis in bonum studentium, quae magna ex parte prosequitur tam per Rectorum Consociationem (ARPUG) quam per eorum legitimorum repraesentantium praesentiam in Senatu Universitatis, ad normam art. 28, §2, f).

Titulus Secundus

De fine Pontificiae Universitatis Gregoriana

ART. 8 – Finis proprius

- § 1. Universitas Gregoriana, fideliter obsequens tam Apostolicae Sedis mandatis quam propriae saeculari traditioni et ipsius Societatis Iesu principiis circa apostolatam intellectualem³⁴, Ecclesiam Universam intendit inservire ope formationis intellectualis illorum qui in futuro, iuxta propriam condicionem et missionem, vocantur ad nuntiandum Evangelium verbis et vita vel ad munera obeunda in servitium Ecclesiae necnon et societatis.
- § 2. In revelationis et fidei intellectu inserviando atque sapientiae christianae patrimonio profundius penetrando, omnia incoepata et actiones Universitatis Gregorianae valores ab Ecclesia propositos promovere intendunt, ut:
- a. dignitatem personae humanae et creationis;
 - b. dimensionem socialem fidei quatenus operantis caritatem, pacem, veritatem, et iustitiam;
 - c. dialogum cum cultura et scientia;
 - d. oecumenismum et occursum cum aliis religionibus.
- § 3. Studia Universitatis Gregoriana quae ab initio solis clericis reservabantur et etiam nunc illis specialiter ordinantur ut aptos eos reddant ad diversa munera pastoralia obeunda, offeruntur quoque sodalibus Institutorum Vitae Consacratae, Societatum Vitae Apostolicae non clericalium et laicis, qui hodie in proclamatione Verbi Dei et in vita Ecclesiae partem semper maiorem habent³⁵.

ART. 9 – Qualitas investigationis et docentiae

- § 1. Universitas Gregoriana, Ecclesiae Magisterio obsequio fideliter servato, debita cum libertate, investigationem scientificam quam maxime favet, ita ut scientiae sacrae et cum eis connexae profundius penetrentur, novae progredientis aetatis quaestiones sub luce Revelationis considerentur atque diversis culturis accomodatae exhibeantur³⁶.
- § 2. Cum docentium magisterium, praesertim in cyclis superioribus, fructus esse oporteat investigationis scientificae ab ipsis peractae³⁷, docentes ab hoc primo munere numquam desistant. Auctoritates vero academicae tempus congruum et subsidia necessaria praebeant ad tale munus implendum.
- § 3. Munus docendi quod, hac in Universitate vi mandati auctoritatis ecclesiasticae competentis exercetur³⁸, excellere debet tam in doctrina tradita quam in paedagogia adhibita iuxta methodologiam propriam uniuscuiusque scientiae.
- § 4. Ad investigationem scientificam promovendam, foveantur speciales investigationis coetus, conventus, periodica et collectiones scientificae, sive alicuius Facultatis propriae sive totius Universitatis communes. Quae aliquam Facultatem unice respiciunt, approbante Rectore, ab ipso Consilio Facultatis statuuntur; quae tamen ad totam Universitatem spectant, a Rectore de consensu Consilii Directivi.

ART. 10 – Interdisciplinarietas

Quo fructuosior habeatur disciplinarum investigatio et efficaciori modo novis problematibus et provocationibus hodiernae culturae respondeatur, necesse est ut interdisciplinarietas promoveatur et docentes relationes cum aliarum disciplinarum cultoribus non tantum eiusdem Universitatis Gregorianae sed etiam aliarum Universitatum habeant³⁹.

³⁴ Cf. Congregationem Generalem S.I. XXXIII, decr. 1, n. 44.

³⁵ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, Proemium, ad V (AAS, 71, 1979).

³⁶ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, Proemium, ad III.

³⁷ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, art. 39.

³⁸ Cf. CIC cann. 812 et 818.

³⁹ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, Proemium, ad III.

ART. 11 – Formatio intellectualis

- § 1. Propria traditione innixa, Universitas Gregoriana in opere formationis intellectualis explendo, fidelis est principiis paedagogiae ignatianaе, quae intendit formationem integram personae liberae et responsabilis. Propterea instat in systematico studio materiae; in assimilatione doctrinae potius quam in multiplicitate cognitionum, in crebra relatione personali docentem inter et studentem atque in mutua relatione experientiam inter et cognitionem.
- § 2. Conscia “discidii fidem inter et culturam haud leve exstare impedimentum evangelizationi”⁴⁰, Universitas Gregoriana curat ut studentes syntesim harmonicam inter fidem, rationem et culturam decursu curriculi studiorum acquirant.
- § 3. Celeres mutationes culturales et technicae, progressus scientiarum etiam sacrarum necnon et nova documenta a Magisterio edita, exigunt ut studentes conscii sint necessitatis formationis continuae et permanentis; Universitas Gregoriana vero apta media ad hunc finem prosequendum eis praebeat.

ART. 12 – Formatio integralis

Personae formatio integralis secum fert formationem etiam humanam, spiritualem et pastoraalem, in qua re Universitas Gregoriana locum subsidiarium assumit, eo quod maxima pars studentium illam in Collegiis vel comunitatibus ubi degunt recipiunt. Structuras tamen et incoepa offert quibus studentes adire possunt ad sacramenta celebranda, ad vitam spiritualem colendam, praesertim per directionem spiritualem et exercitia spiritualia ignatiana, atque ad sensum universalitatis et solidaritatis concitandum.

⁴⁰ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, Proemium, ad I.

Titulus Tertius

De structura Universitatis Gregoriana

ART. 13 – Pluralitas organorum academicorum

- § 1. Universitas Gregoriana constat pluribus Facultatibus ecclesiasticis ab Apostolica Sede erectis, inter quas primum locum obtinent Facultas Theologiae⁴¹, Facultas Iuris Canonici⁴², Facultas Philosophiae atque Facultas Historiae et Bonorum Culturalium Ecclesiae⁴³, propter earum peculiarem naturam et momentum in vita Ecclesiae.
- § 2. Praeterea in Universitate aliae Facultates, Instituta et Centra Academica existunt, quae disciplinas colunt cum Revelatione christiana connexas vel alias quae ad evangelizandum munus magnopere conferunt; ea in *Ordinationibus Universitatis*⁴⁴ recensentur.
- § 3. Quae in his *Statutis* et *Ordinationibus Universitatis* dicuntur de Facultatibus, Decanis et Consiliis valent pari ratione de Institutis et Centris eorumque Praesidibus, Directoribus et Consiliis, nisi aliud expresse caveatur vel rei natura aliter postulet.

ART. 14 – Facultas

- § 1. Facultas est structura academica ab Apostolica Sede canonice erecta⁴⁵ quae excolit et tradit scientiam alicuius determinatae disciplinae, cum iure gradus academicos canonicos, auctoritate eiusdem Apostolicae Sedis, conferendi.
- § 2. Facultas regitur a Decano, iuxta art. 32, §1 nominato, cui adsunt Consilium Decani, Consilium Facultatis, Consilium Ordinariorum, et Consilium Professorum, ad normam *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁴⁶ et *Facultatum*.

ART. 15 – Institutum

- § 1. Institutum est structura academica ab Apostolica Sede canonice erecta⁴⁷ quae activitates investigationis et docentiae ad specializationem quamdam vel ad peculiarem capacitatem professionalem acquirendam promovet.
- § 2. Iuxta speciem propriam ab Apostolica Sede approbatam, Institutum propria autonomia gaudet vel cuidam Facultati adnectitur atque illos gradus academicos canonicos vel diplomata confert quae ei concessum fuerit.
- § 3. Institutum regitur a Praeside, ad normam art. 32, §1 nominato, cui adsunt Consilia, ad normam *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁴⁸ et *Instituti*.

ART. 16 – Centrum Interdisciplinare

- § 1. Centrum Interdisciplinare est structura academica, a Rectore, auditis Decanis admixtis et de consensu Consilii Directivi, constituta ubi activitates sive docentiae sive investigationis interdisciplinari modo coluntur circa particulares quaestiones quae in hodiernis adiunctis Ecclesiae et societatis, maioris momenti iudicantur.

⁴¹ Iulius III, die 22 oct. 1552, Praeposito Generali Societatis Iesu ius fecit gradus academicos conferendi in Theologia et Philosophia studentibus Ordinis Collegii Romani, quod ius Pius IV ampliavit pro studentibus etiam externis, die 16 febr. 1561 (cf. notam 15).

⁴² Pius IX, per decr. S. Congregationis Studiorum ex audientia SSmi. latum diei 16 aug. 1876, benigne indulisit ut in Universitate Gregoriana Facultas Iuris Canonici conderetur. Leo XIII hanc concessionem confirmavit et ratam habuit (cf. Litt. Apost. *Romani Pontifices*, 29 iul. 1896).

⁴³ Pius XI, per decr. S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 6 aug. 1932 canonice erexit Facultatem Historiae Ecclesiasticae; Congr. de Institutione Catholica, per decretum datum die 28 apr. 2005, novam Facultatem erexit cuius nomen est Facultas Historiae et Bonorum Culturalium Ecclesiae.

⁴⁴ Cf. Reg., art. 4, §2.

⁴⁵ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, art. 2. (cf. notam 35).

⁴⁶ Cf. Reg., artt. 46-51.

⁴⁷ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, art. 2.

⁴⁸ Cf. Reg., artt. 46-51.

- § 2. Docentes in Centro sunt sive ii qui a Decano propriae Facultatis mittuntur, sive Lectores vel Invitati qui ad ipsum Centrum pertinent.
- § 3. Centro praeest Director, de quo in art. 34, arcte connexus cum Decanis admixtis, quibus competit responsabilitas sustinendi et promovendi Centri activitates academicas.
- § 4. Centrum curricula studiorum offert ad diploma obtinendum vel ad titulum *Master* assequendum. Tituli concedi possunt sive facultate concessa a Sancta Sede sive ab ipsa Universitate.
- § 5. Rector, auditis Decanis admixtis et de consensu Consilii Directivi, Centrum suppressere potest, cum decursu temporis momentum quaestionum tractatarum evanescit.

ART. 17 – Centrum investigationis

- § 1. Centrum investigationis est structura academica, a Rectore de consensu Consilii Directivi constituta, ubi activitates investigationis coluntur, necnon publicationes conventusque foventur, de quaestionibus quae magni momenti pro vita Ecclesiae et societatis iudicantur.
- § 2. Centro praeest Director, de quo in art. 35.
- § 3. Membra Centri, ad normam *Ordinationum Universitatis*⁴⁹ nominata, activitatem investigationis et promotionis colunt sub immediato moderamine Directoris.
- § 4. Rector, de consensu Consilii Directivi, Centrum suppressere potest, cum decursu temporis, momentum quaestionum tractatarum evanescit.

ART. 18 – Sectio

- § 1. Sectio est structura academica quae a Rectore, proponente Consilio Professorum de quo in art 39, §2, b) et audito suo Consilio, constitui potest intra quamdam Facultatem ita ut peculiaris area docentiae vel investigationis speciali cum cura foveatur atque studentes diligenter et singillatim adiuventur; ea, proponente ipso Consilio de quo in art. 39, §2, b) et audito suo Consilio, a Rectore suppressi potest.
- § 2. Docentes Sectionum adscribuntur Facultati ad quam ipsa Sectio pertinet.
- § 3. Sectioni praeest Moderator, de quo in art. 33.

⁴⁹ Cf. Reg., art. 58, §2.

Titulus Quartus

De regimine Universitatis Gregoriana

PARS PRIOR REGIMEN GENERALE UNIVERSITATIS

SECTIO A: AUCTORITATES PERSONALES TOTIUS UNIVERSITATIS

ART. 19 – Magnus Cancellarius

Magni Cancellarii ea sunt munera quae in Constitutione *Sapientia Christiana*⁵⁰ atque in eiusdem *Ordinationibus*⁵¹, necnon in *Statutis Universitatis* describuntur, quaeque tamen, suprema sibi vigilantia retenta, exercet in rebus ordinariis per Vice–Magnum Cancellarium.

ART. 20 – Vice- Magnus Cancellarius

§ 1. Praeter iura et officia quae Praeposito Generali Societatis Iesu ad normam art. 4, §2, a) et art. 71, §1 competunt, ipse, qua Vice–Magnus Cancellarius et salva semper competentia Magni Cancellarii:

- a. Ius et officium habet ferendi orientationes generales quoad respectum scientificum, didacticum ac pastorale Universitatis;
- b. *Statutorum Universitatis, Facultatum et Institutorum* custos et interpret est;
- c. tria nomina Apostolicae Sedi praesentat pro Rectoris nominatione;
- d. proponente Rectore, Vice–Rectores designat;
- e. Decanos a Rectore nominandos approbat;
- f. Apostolicae Sedis Nihil obstat obtento, professores Extraordinarios nominat, eisque mandatum canonicum confert⁵² atque suo iure Ordinarios instituit; ambo ad normam art. 51, §1, a munere docendi suspendere vel dimittere potest;
- g. ad normam art. 62 propositioni doctoratus ad honorem conferendi consentit;
- h. conflictus competentiae et attributionis inter diversas auctoritates vel organa Universitatis dirimit;
- i. recursus adversus actus ab iisdem positos excipit, de legitimitate eorumdem actuum agnoscit et quos illegitimos repererit irritos declarat vel rescindit aut, si sanabiles, sanat;
- j. quaestiones disceptandas et decidendas a Consilio Directivo vel a Consilio Facultatis vel tractandas a Senatu, per Rectorem proponere potest;
- k. Ratione habita de modo procedendi descripto in *Ordinationibus Constitutionis Sapientia Christiana* art. 22, §§ 2 et 3, Professores a munere docendi gravi de causa, praesertim doctrinali, suspendi vel dimitti potest;
- l. Si opportunum aestimaverit, ius habet inspectionem oeconomiam Universitatis instituendi;
- m. pensum oeconomicum et tributa studentium approbat;
- n. Congregationi de Institutione Catholica singulis trienniis relationem de statu Universitatis mittit.

§ 2. Huiusmodi functiones delegare potest.

ART. 21 – Rector

§ 1. Rector, qui sodalis Societatis Iesu esse debet, a Romano Pontifice nominatur ad normam §8 huius articuli.

§ 2. Vi officii, potestate ordinaria gaudet ad moderandam Universitatem cui ipse praeest et eam coram auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus legitime repraesentat.

⁵⁰ Cf. Const. Apost. *Sapientia Christiana*, art. 12 (cf. notam 35).

⁵¹ Cf. Ordinationes Congr. pro Institutione Catholica ad Const. Apost. *Sapientia Christiana* rite exequendam, art. 18 (AAS 71, 1979).

⁵² Cf. CIC cann. 812 et 815.

§ 3. Rectoris est Universitatem ita moderari ut, iuxta lineamenta de universitatibus ab Ecclesia et Societate Iesu proposita, unitas intentionum, progressus Universitatis, cooperatio Facultatum et continua accommodatio curriculi studiorum ad mutatas condiciones temporum sedulo foveantur.

§ 4. Munera praecipua Rectoris sunt :

- a. relationes Universitatis cum Apostolica Sede, Ecclesia locali, Societate Iesu et aliis Universitatibus attente curare;
- b. Universitatis actionum ac propositorum assiduam evaluationem promovere;
- c. nomine Universitatis conventiones cum aliis institutionibus subsignare et ratione habita art. 27, §5, c) atque onera oeconomica et iuridica ab iis orta assumere;
- d. administrationi temporali et oeconomica totius Universitatis prospicere ad normam art. 71, §§ 4 et 5;
- e. Centra Interdisciplinaria et Centra Investigationis ad normam art. 16, §§ 1 et 5 atque art. 17, §§ 1 et 4, constituere et suppressere eosque Directores nominare ad normam art. 34, §1 et art. 35;
- f. Sectiones Facultatum, ad normam art. 18, §1, erigere et suppressere;
- g. Sectiones Auxiliares ad normam art. 74, §3 constituere;
- h. Decanos, praevia approbatione Vice-Magni Cancellarii, nominare ad normam art. 32, §1;
- i. informationes necessarias Vice-Magno Cancellario deferre ad promovendum docentem ad gradum professoris Ordinarii vel Extraordinarii, ratione habita art. 27, §10;
- j. Decano proponente, docentes Invitados nominare;
- k. Consilium Directivum, Senatum Universitatis, Consilium Oeconomicum et Consilium de pecuniae collocatione convocare et iisdem praeesse;
- l. Consilii Directivi decisiones executioni mandare;
- m. audito Consilio Directivo, Capellanum Universitatis, Secretarium Generalem, Oeconomum, Bibliothecarium, Moderatorem Offici Laboris, Archivistam et Directorem Systematis Informatici nominare;
- n. audito suo Consilio, membra Consilii Bibliothecae et Consilii Archivi designare;
- o. controversias in Universitate ortas dirimere, salvo iure partis laesae recurrendi in suspensivo ad auctoritatem superiorem;
- p. arctas relationes cum benefactoribus personaliter colere;
- q. Vice-Magno Cancellario de rebus gravioribus referre;
- r. ad Congregationem de Institutione Catholica summarium statisticum Universitatis quotannis mittere⁵³.

§ 5. Ad haec munera rite adimplenda, adiuvatur a Vice-Rectoribus qui delegatas facultates habituales ad normam *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁵⁴ habent et exercent; audito Consilio Directivo, alias suas peculiare facultates in bonum Universitatis aliis comunitatis universitariae membris delegare potest.

§ 6. Cum id necessarium sibi videatur, ius habet convocandi, proponendi quaestiones disceptandas et participandi per se vel per delegatum in omnibus consiliis et adunationibus Universitatis atque decidendi de iis quae aliis auctoritatibus Universitatis non sunt expresse reservata.

§ 7. De sui muneris exercitio Vice Magno Cancellario refert.

§ 8. Pro Rectoris nominatione, Consilium Directivum, iuxta modum procedendi in *Ordinationibus Universitatis*⁵⁵ statutum, quinque nomina seligit et Vice-Magno Cancellario proponit. Ex eis ipse Vice-Magnus Cancellarius, nisi suo iudicio ulteriori studio Consilii res submittenda sit, tria nomina Romano Pontifici praesentat, qui, audita relatione Magni Cancellarii, Rectorem nominat.

§ 9. Rector per triennium munere fungitur, quo expleto Vice-Magnus Cancellarius, audito Consilio Directivo et probante Magno Cancellario, eum ad immediate subsequens triennium semel confirmare potest. Unde post secundum triennium semper procedendum est secundum §8 huius articuli; expleto nuovo triennio a munere definitive cessat.

⁵³ Cf. Ordinationes Congr. pro Institutione Catholica ad Const. Apost. *Sapientia Christiana* rite exequendam, art. 14, §6 (cf. nota 51).

⁵⁴ Cf. Reg., artt. 26-29.

⁵⁵ Cf. Reg., artt. 5-12.

ART. 22 – Vice-Rectores

- § 1. Vice-Rectores, qui sodales Societatis Iesus esse debent, ad normam *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁵⁶ Rectorem in Universitate gubernanda adiuvant.
- § 2. Proponuntur a Rectore, audito Consilio Directivo, atque a Vice-Magno Cancellario nominantur. Novo Rectore munus ineunte, Vice-Rectorum munus expirat, cum alii Vice-Rectores constituuntur.
- § 3. Eorum praecipuum officium, ad mentem Rectoris exercendum, in eo consistit ut lineamenta a competentibus auctoritatibus in bonum Universitatis elata, in ambitu competentiae eorum assignatae, in praxim deducantur.
- § 4. Eorum maioris momenti incoepa, a Rectore approbata, in ambitu suae competentiae, proprio Marte perficiunt ratione habita art. 26, §2, a).
- § 5. De eorum muneris exercitio Rectori referunt.

ART. 23 – Vice-Rector Universitatis

- § 1. Vi officii, vices gerit Rectoris absentis vel impediti et Universitatem ad mentem eiusdem Rectoris moderatur; munere Rectoris vacante, eadem iura et officia obtinet ac ipse Rector, firma obligatione quam primum exsequendi quae de novo Rectore nominando praescripta sunt in *Statutis* et *Ordinationibus Universitatis*⁵⁷.
- § 2. Vi facultatum ei habitualiter delegatarum, spiritum ignatianum Universitatis et omnia quae formationem integram et bonum commune totius communitatis universitariae respiciunt promovet.
- § 3. Eius munera praecipua sunt:
- a. navitatem Capellaniae Universitariae moderari;
 - b. Coetum Repraesentantium Alumnorum, de quo in art. 69, praesidere;
 - c. subsidia oeconomica alumnis concedere.
- § 4. Ad officia sua recte explenda, a coetibus studii vel consultationis a Rectore approbandis adiuvatur.

ART. 24 – Vice-Rector Academicus

- § 1. Vi facultatum ei habitualiter delegatarum, rem academicam Universitatis gerit. Eius munus praecipuum est prospicere ut in omnibus Facultatibus, Institutis et Centris, ad actum deducantur lineamenta ab auctoritatibus superioribus Universitatis elata circa ordinem studiorum, aptam paedagogiam docentium, qualitatem academicam investigationis, accomodationem programmatum ad hodiernas Ecclesiae et societatis necessitates.
- § 2. Eius est:
- a. ea quae Facultatum ordinem academicum respiciunt curare, salvis iuribus Decanis a *Statutis* et *Ordinationibus Universitatis*⁵⁸ concessis;
 - b. Lectores Associatos, Lectores, Assistentes, et Moderatores Sectionum, Decano proponente, nominare;
 - c. super gestionem Sectionum Generalium non academicarum quoad ea quae cum rebus academicis sunt connexa, vigilare;
 - d. de Institutis Universitati aggregatis et affiliatis curam habere deque quaestionibus exinde ortis decidere;
 - e. qualitatem publicationum Universitatis promovere.
- § 3. Ad munus suum recte adimplendum, frequenter cum Decanis agit et a Commissionibus academicis de quibus in art. 29 adiuvatur.

⁵⁶ Cf. Reg., artt. 26-29.

⁵⁷ Cf. Reg., artt. 5-12.

⁵⁸ Cf. Reg., art. 30.

ART. 25 – Vice-Rector Administrativus

§ 1. Vi facultatum ei habitualiter delegatarum, de ambitu oeconomico, materiali, laborali, iuridico et administrativo Universitatis superintendentiam habet.

§ 2 Eius est:

- a. vigilare ut relationes laborales iuxta principia iustitiae procedant;
- b. curare ut administratio oeconomica ordinaria universitatis apte et efficaciter procedat atque oportuno tempore pareatur tam externa certificatio de statu oeconomico Universitatis (*auditing*), quam pensus oeconomicus annuus;
- c. de statu patrimoni prospicere;
- d. pecuniam ad sustentationem et progressum Universitatis invenire, mutua communicatione cum structuris Consortii⁵⁹ idem intendentibus retenta;
- e. rationes cum peritis in rebus iuridicis gerere;
- f. necessitatibus generalibus Universitatis subvenire;
- g. nominare, ad normam art. 83, §2, eos qui Sectiones Auxiliares gerunt.

§ 3. Ad munus suum recte explendum,

- a. a consilio virorum peritorum atque a coetibus studii adiuvatur;
- b. collaboratores ei assignantur, ex quibus praecipue adnumerantur Oeconomus et Moderator Officii Laboris;
- c. alios quoque collaboratores habeat, ad normam art. 83, §2 ab ipso nominati, qui Sectiones Auxiliares, de quibus in art. 83, §1, gerant.

⁵⁹ Consortium constituitur a Pontificia Universitate Gregoriana et ab Institutis ei, ex voluntate Pii XI, consociatis, quae sunt Pontificium Institutum Biblicum et Pontificium Institutum Orientale.

SECTIO B : AUCTORITATES COLLEGIALES TOTIUS UNIVERSITATIS

ART. 26 – Consilium Rectoris

- § 1. Consilium Rectoris constat Vice-Rectoribus et pluries in mense coadunari debet sub praesidentia Rectoris.
- § 2. Munera praecipua Consilii Rectoris sunt:
- a. coetum mutuae informationis efformare quo diversa incoepa Rectoris et Vice-Rectorum proponantur atque disceptentur ut unitas gubernii in rebus agendis semper servetur;
 - b. circa negotia quae a Rectore proponuntur, salva competentia Consilii Directivi, discutere;
 - c. adiumentum esse Rectori ad ordinem rerum agendarum in Consilio Directivo elaborandum.

ART. 27 – Consilium Directivum

- § 1. Consilium Directivum est organum collegiale consultationis et decisionis quod Rectori permanenter assistit in Universitate moderanda. In eoque res maioris momenti pro illius vita ad discussionem proponendae sunt, praesertim ut in actum ducantur orientationes generales a Magno Cancellario vel a Vice-Magno Cancellario latae quoad respectum scientificum, didacticum ac pastorale Universitatis.
- § 2. Constat:
- a. Rectore;
 - b. Vice-Rectoribus;
 - c. Facultatum Decanis et Institutorum Praesidibus.
- § 3. Rector illud convocat ut plurimum semel in mense et cum id opportunum duxerit.
- § 4. Consilium voto deliberativo gaudet cum agitur:
- a. de erectione vel suppressione Facultatum vel Institutorum quae, a Vice-Magno Cancellario confirmata, a S.Sede vel erigi vel supprimi debent;
 - b. de confectione vel modificatione *Statutorum Universitatis*, *Facultatum* et *Institutorum* quae, a Vice-Magno Cancellario confirmata, a Sede Apostolica approbari debet;
 - c. de mutatione structurae Facultatum aliorumque Institutorum, quae a Vice-Magno Cancellario confirmanda est;
 - d. de propositione collationis Doctoratus ad Honorem, qui, obtento *Nihil Obstat* Vice-Magni Cancellarii et Apostolicae Sedis, ab Universitate confertur;
 - e. de penso oeconomico annuo et de ratione tributorum academicorum, quae a Vice- Magno Cancellario approbari debent;
 - f. de confectione et modificatione *Ordinationum Universitatis*, *Facultatum* et *Institutorum*;
 - g. de curriculis studiorum;
 - h. de relationibus institutionalibus cum aliis institutis academicis;
 - i. de normis quibus Sectiones Generales non academicae reguntur;
 - j. de linguarum usu, proponente Consilio Facultatis, ratione habita unitatis et indolis internationalis Universitatis;
 - k. de casibus disciplinariis gravioribus sive docentium sive studentium, iuxta normas in *Statutis* vel *Ordinationibus Universitatis*⁶⁰ determinatas;
 - l. de confectione lineamentorum calendarii academici.
- § 5. Consensum eius Rector exquirere debet cum agitur:
- a. de institutione vel suppressioni Centri Interdisciplinaris et Centri Investigationis;
 - b. de extraordinaria administratione, praesertim de alienatione bonorum Universitatis deque quolibet negotio in quo Universitatis condicio patrimonialis peior fieri potest.
- § 6. Consilium audiri debet:
- a. in nominandis Capellano Universitatis, Secretario Generali, Oeonomo, Bibliothecario, Moderatore Officii Laboris, Archivista et Directore Systematis Informatici;
 - b. in constituendis Sectionibus Auxiliariis de quibus in art. 74, §3.

⁶⁰ Cf. Reg., art. 64.

- § 7. Ad ipsum Consilium spectat munus in nominando Rectore, iuxta modum procedendi in *Statutis* et *Ordinationibus Universitatis*⁶¹ praescriptum.
- § 8. Antequam proposita nomina ad Vice-Magnum Cancellarium deferantur, qualitates Rectoris, Vice-Rectorum atque Decanorum in singulis casibus adumbrat et propositiones de professorum accessione ad superiorem gradum aestimat.
- § 9. Acta Consilii ad Vice-Magnum Cancellarium Secretarius mittit.

ART. 28 – Senatus Universitatis

- § 1. Senatus Universitatis, communitatem universitariam repraesentans, de questionibus ac incoeptis propositis discutit et propriis consiliis in bonum Universitatis collaborat.
- § 2. Senatus Universitatis constat:
- a. Rectore;
 - b. Vice-Rectoribus;
 - c. Facultatum Decanis ac Institutorum Praesidibus quibus tale ius competit iuxta *Ordinationes Universitatis*⁶²;
 - d. Professoribus Ordinariis vel Extraordinariis Facultatum et Institutorum quibus tale ius competit ad normam *Ordinationum Universitatis*⁶³, a coetu eorundem in unaquaque Facultate vel Instituto ad triennium electis;
 - e. Moderatoribus Sectionum Generalium non academicarum Universitatis quibus, ad normam *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁶⁴, tale ius competit;
 - f. Praeside Consociationis Rectorum Collegiorum (ARPUG) et uno ex Rectoribus a Consilio eiusdem Consociationis ad biennium electo;
 - g. Studentibus Universitatis quibus tale ius competit ad normam *Ordinationum Universitatis*⁶⁵, ad annum electis.
- § 3. Senatus audiri debet cum agatur:
- a. de modificatione *Statutorum* vel *Ordinationum Universitatis*;
 - b. de erectione et suppressione Facultatum et Institutorum;
 - c. de mutatione structurae Facultatum aliorumque Institutorum;
 - d. de confectione lineamentorum calendarii;
 - e. de linguarum usu in Universitate;
 - f. de penso oeconomico annuo et de rationibus tributorum studentium.
- § 4. Senatus est proponere ea quae faveant bonum commune docentium, studentium aliorumque collaboratorum ita ut efformetur communitas universitaria in eundem finem intendens.
- § 5. Senatus a Rectore saltem ter in anno convocari debet necnon quoties vel ipse id opportunum iudicaverit vel Vice-Magnus Cancellarius vel tertia saltem illius membrorum pars id petierit. Quaestiones disceptandas proponere Rectori competit et, per Rectorem, Vice-Magno Cancellario necnon Senatus membris, tertia saltem pars ex eis id coniunctim scripto petentibus.
- § 6. Acta Senatus Secretarius Generalis Universitatis conficit atque ad Vice-Magnum Cancellarium mittit.

Art. 29 – Commissiones academicae

- §1. Commissiones academicae, ad normam *Ordinationum Universitatis*⁶⁶ constitutae, sunt organa consultiva quae Vice-Rectori Academico in suo munere exercendo assistunt ut decisiones de re academica, a Consilio Directivo latae, in praxim deducantur atque curricula Facultatum rite recognoscantur, evolvantur et inter se coordinentur.

⁶¹ Cf. Reg., artt. 5-12.

⁶² Cf. Reg., art. 42, §1c.

⁶³ Cf. Reg., art. 42, §1d.

⁶⁴ Cf. Reg., art. 42, §1e.

⁶⁵ Cf. Reg., art. 42, §1g.

⁶⁶ Cf. Reg., art. 35.

§2. Commissionibus, quae membris de iure et electis componuntur, Vice Rector Academicus praest, qui illas convocat.

§3. Numerus, functiones et compositio Commissionum reguntur ab *Ordinationibus Universitatis*⁶⁷.

ART. 30 – Consilium Oeconomicum

§ 1. Consilium Oeconomicum est organum collegiale, quod Rectorem adiuvat ad res oeconomicas tractandas.

§ 2. Consilium, cui Rector praeficitur, constat:

- a. Vice-Rectore Administrativo;
- b. Oeonomo;
- c. quattuor aliis membris, a Vice Magno Cancellario, Rectore proponente, ad triennium nominatis, quorum saltem duo ad communitatem universitariam pertineant.

§3. Consilii est tributa academica studentium et pensum oeconomicum annualem Universitatis examinare et approbare atque de actibus extraordinariae administrationis tractare. Conclusiones eius Consilio Directivo et, si casus ferat, Vice-Magno Cancellario submittendae sunt.

§ 4. Consilium saltem bis in anno a Rectore convocari debet.

ART. 31 – Consilium de pecuniae collocatione

§ 1. Consilium de pecuniae collocatione Rectori assistit ad efficacem et providam administrationem pecuniae Universitatis.

§ 2. Consilium, cui Rector praeficitur, constat:

- a. Vice-Rectore Administrativo;
- b. saltem aliis tribus membris, ad triennium a Rectore, audito suo Consilio, nominatis, qui sint in re oeconomica et pecuniae collocatione necnon in iure civili vere peritis atque integritate morali praestantes.

§ 3. Consilium saltem bis in anno a Rectore convocari debet.

⁶⁷ Cf. Reg., artt. 34-37.

**PARS SECUNDA
REGIMEN FACULTATUM**

SECTIO A: AUCTORITATES PERSONALES FACULTATUM

ART. 32 – Decanus Facultatis

- § 1. Decanus, qui sodalis Societatis Iesu et professor stabilis Facultatis esse debet, a Rectore ad triennium nominatur, audito Consilio Directivo et approbante Vice Magno Cancellario; ad immediatum tamen sequens triennium semel Rector, approbante Vice-Magno Cancellario, eum confirmare potest.
- § 2. Peculiaribus adiunctis, Rector Pro-Decanum nominare potest, ad normam §1 huius articuli et *Ordinationum Universitatis*⁶⁸.
- § 3. Decanus Facultati praeest eamque repraesentat atque iuxta directivas et decisiones a Consilio Directivo latas moderatur.
- § 4. Eius est:
- a. nexum esse inter organa superiora gubernii et Facultatem, ita ut tueatur necessaria relatio inter orientationes generales Universitatis et indolem propriam Facultatis;
 - b. navitatem Facultatis, praesertim circa qualitatem investigationis et docentiae promovere, ratione habita interdisciplinaritatis, rationalis docentium distributionis et sumptuum;
 - c. studentes, nomine Rectoris, admittere vel excludere per se vel per delegatum ad normam *Statutorum Facultatis*.
- § 5. In Facultatis moderamine pressius adiuvatur a suo Consilio, de quo in art. 36, et a Consiliis de quibus in articulis 37, 38 et 39.
- § 6. Decanus poterit, quando id opportunum duxerit, omnes Facultatis docentes, et studentes, vel aliquos eorum coetus, ad informationem et discussionem de rebus Facultatis convocare.
- § 7. De statu Facultatis, praesertim vero de decisionibus Consilii Facultatis, Decanus ad Rectorem deferre debet.

ART. 33 – Moderator Sectionis Facultatis

- § 1. Moderator Sectionis Facultatis a Vice-Rectore Academico ad triennium nominatur, proponente Decano ad normam *Ordinationum Universitatis*⁶⁹.
- § 2. Ei competit, vi facultatum habitualium a Decano ad normam *Ordinationum Universitatis*⁷⁰ delegatarum, moderari activitates academicas Sectionis, fovere unionem inter docentes Sectionis eorumque rationem sive cum Facultate ad quam pertinent sive cum structuris academicis Universitatis in quibus docent.
- § 3. Moderator Sectionis Decano Facultatis pendet et ei de sui muneris exercitio refert.

ART. 34 – Director Centri Interdisciplinaris

- § 1. Director Centri Interdisciplinaris, qui Professor stabilis Universitatis esse debet, a Rectore, audito suo Consilio, nominatur.
- § 2. Director Centri, qui a Vice-Rectore Academico pendet, ad normam *Ordinationum Centri* illud moderatur et de sui muneris exercitio ei et Decanis admixtis refert.

⁶⁸ Cf. Reg., art. 17.

⁶⁹ Cf. Reg., art. 19.

⁷⁰ Cf. Reg., art. 31.

ART. 35 – Director Centri Investigationis

Director Centri Investigationis, qui professor stabilis Universitatis esse debet, a Rectore, audito suo Consilio, nominatur et de sui muneris exercitio Vice Rectori Accademico, a quo pendet, refert.

SECTIO B: AUCTORITATES COLLEGIALES FACULTATUM

Art. 36 – Consilium Decani

- § 1. Consilium Decani est organum collegiale, a coetu saltem ex tribus Professoribus stabilibus Facultatis, ad normam *Ordinationum Universitatis*⁷¹ necnon *Statutorum* et *Ordinationum Facultatis* constituto, quod praesius adiuvat Decanum in Facultatis moderamine et ordinarie bis in mense convocari debet.
- § 2. Decanus eget consensu Consilii:
- a. ad designandos Lectores Associatos, Lectores et Assistentes, qui nominari debent a Vice-Rectore Academico;
 - b. ad assignationem docentium diversis disciplinis iuxta necessitates academicas Universitatis;
 - c. ad statuendas disciplinas praescriptas quibus professores stabiles assignari debent;
 - d. ad concedendam repetitionem examinis finalis alicuius cycli.
- § 3. Decanus audire debet Consilium:
- a. ad conficiendum elenchum eorum qui, expletis condicionibus requisitis, proponendi sunt Consilio Ordinariorum ut ad gradum Ordinarii vel Extraordinarii promoveantur ad normam *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁷²;
 - b. ad disceptandas quaestiones quae submittendae sunt deliberationi Consilii Facultatis;
 - c. ad conficiendum ordinem rerum agendarum in Consilio Facultatis;
 - d. ad concedendam examinis repetitionem plus quam semel.
- § 4. *Ordinationes Facultatis* alias quoque materias determinare possunt quae consilio sive consensu Consilii Decani egent.

ART. 37 – Consilium Facultatis

- § 1. Consilium collegialiter assistit Decano in moderanda Facultate eique competit negotia maioris momenti tractare.
- § 2. Consilium Facultatis, cui praeficitur Decanus, constat:
- a. Sectionum Moderatoribus, si habeantur in Facultate;
 - b. congruo numero, in *Ordinationibus Facultatis* determinato, Professorum, Lectorum Associatorum, Lectorum, Assistentium et studentium.
- § 3. Consilium voto deliberativo gaudet:
- a. in elaborandis vel modificandis *Statutis* et *Ordinationibus Facultatis* quae, iuxta *Statuta Universitatis*, auctoritatibus superioribus submittendae sunt;
 - b. in designatione nominum quae Rectori praesentari debent ad nominationem Decani;
 - c. in electione Consiliariorum Decani ad normam *Ordinationum Universitatis*⁷³ et *Facultatis*;
 - d. in stabiliendis condicionibus admissionis pro diversis curriculum Facultatis;
 - e. in proponendo Consilio Directivo linguarum usu in Facultate, ratione habita unitatis et indolis internationalis Universitatis;
 - f. in approbanda propositione conferendi doctoratum ad honorem.
- § 4. Consilium audiri debet cum agitur:
- a. de accomodandis orientationibus generalibus Universitatis activitati academicae Facultatis;
 - b. de excogitandis mediis ad promovendam interdisciplinarietatem et collaborationem cum caeteris structuris academicis Universitatis;
 - c. de aestimatione Facultatis sumptus advenientis anni (*Preventivo*), qui a Consilio Directivo approbari debet;
 - d. de statu Facultatis vel de qualitate academica et paedagogica docentiae.

⁷¹ Cf. Reg., art. 22.

⁷² Cf. Reg., art. 53.

⁷³ Cf. Reg., art. 22.

- § 5. Consilium saltem semel in semestre convocari debet, vel cum Decanus id opportunum duxerit vel Rector aut quaedam membrorum pars, in *Ordinationibus Facultatis* determinanda, convocationem a Decano petierint.
- § 6. Ius proponendi quaestiones a Consilio discutiendas et decidendas, Decano competit necnon, per Decanum, Rectori et Vice–Magno Cancellario.
- § 7. Acta Consilii Secretarius, a Decano designatus, conficit et ad Rectorem ac ad Vice–Rectorem Academicum mittit.

ART. 38 – Consilium Ordinariorum

- § 1. Consilium Ordinariorum, cui praeest Decanus est organum collegiale, ab omnibus professoribus Ordinariis Facultatis constitutum.
- § 2. Convocari debet a Decano ad decidendam accessionem docentis ad gradum professoris Ordinarii vel Extraordinarii iuxta modum procedendi in *Ordinationibus Universitatis*⁷⁴ statutum.
- § 3. Acta Consilii Secretarius, a Decano designatus, conficit et ea ad Rectorem et ad Vice–Rectorem Academicum mittit.

ART. 39 – Consilium Professorum

- § 1. Consilium Professorum, cui praeest Decanus, est organum collegiale, ab omnibus professoribus stabilibus Facultatis constitutum.
- § 2. Consilium voto deliberativo gaudet:
- a. in proponendis curriculis studiorum quae approbari debent a Consilio Directivo;
 - b. in proponenda Rectori constitutione vel suppressione alicuius Sectionis Facultatis
- § 3. Acta Consilii Secretarius, a Decano designatus, conficit et ad Rectorem et ad Vice–Rectorem Academicum mittit.

⁷⁴ Cf. Reg., artt. 49-51; 53.

**PARS TERTIA:
DE MODO PROCEDENDI GENERALI IN ORGANIS COLLEGIALIBUS**

ART. 40 – De natura organorum collegialium Universitatis

- § 1. Structurae collegiales gubernii sunt:
- a. pro negotiis quae totam Universitatem respiciunt: Consilium Rectoris, Consilium Directivum, Senatus Universitatis, Commissiones Academicae, Consilium Oeconomicum et Consilium de pecuniae collocatione;
 - b. pro negotiis quae Facultates respiciunt: Consilium Decani, Consilium Facultatis, Consilium Ordinariorum et Consilium Professorum.
- § 2. Consilia functionem habent consultivam, deliberativam vel etiam electivam, iuxta praescripta *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*.
- § 3. Omnia vero Consilia agere debent iuxta praescripta iuris communis, *Statutorum* et *Ordinationum Universitatis*⁷⁵.

ART. 41 – Convocatio

- § 1. Etiam si dies adunationis ordinariae in antecessum iam determinatum fuerit, Consilium semper convocari debet ad normam *Ordinationum Universitatis*⁷⁶ per litteras missas omnibus ius habentibus.
- § 2. Ad validitatem sessionis requiritur praesentiam duarum ex tribus partium eorum qui convocari debent.
- § 3. Omnia Consilii vel coetuum membra, legitime convocata, participare debent in sessionibus, nisi impedita sint.
- § 4. Qui preasunt Consiliis alias quoque personas sive Universitatis sive externas convocare possunt, quin tamen habeant vocem activam nec passivam.

ART. 42 – Modus procedendi cum agitur de negotiis

- Breviter enucleato statu quaestionis, initium habet disceptatio, qua conclusa, procedendum est ad suffragium publicum ferendum:
- a. si votum est deliberativum, etiam Praeses votat qui, in casu paritatis, dirimit quaestionem; Praeses decisiones Consilii exsequi debet;
 - b. si de voto consultivo vel de consensu agitur, Praeses non votat;
 - c. in casu voti consultivi, Praeses agere potest etiam contra votum maioris partis; id tamen non faciat contra unanimem membrorum Consilii sententiam, nisi approbante immediato Superiore academico.
 - d. si consensus requiritur, Praeses agere non potest si illum non obtinuerit.

ART. 43 – Modus procedendi cum agitur de personis

- § 1. Cum eligi debeant personae ad aliquod munus implendum, Praeses curet ut omnia membra Consilii elenchum habeant eorum qui vocem passivam in electione habent et procedatur ad normam *Ordinationum Universitatis*⁷⁷. Post duo vero inefficacia scrutinia, suffragatio fiat super duobus candidatis qui maiorem suffragiorum partem obtinuerint in ultimo suffragio.
- § 2. Si plures eligendi sunt, separatis scrutiniis procedendum est.

⁷⁵ Cf. Reg., artt. 38-51.

⁷⁶ Cf. Reg., art. 38.

⁷⁷ Cf. Reg., art. 22 (Consilii Decani); art. 21 (Senatus membra); art. 35 (Commissionum academicarum membra); art. 85 (Repraesentantes studentium).

- § 3. Cum Consilium praesentare debeat nomina ita ut auctoritas competens procedat ad designationem personae, procedendum est iuxta praescripta peculiaria *Ordinationum Universitatis*⁷⁸.
- § 4. Ad praesentationem nominum ad munus Rectoris implendum, iuxta specialem agendi rationem in *Ordinationibus Universitatis*⁷⁹ descriptam procedatur.
- § 5. Suffragium debet esse personale et secretum, clare exprimens nomen designati nec licet sibimetipsi suffragium dare.
- § 6. De iudiciis in Consilio expressis deque exitu ipsius suffragationis, secretum semper servandum est.

⁷⁸ Cf. Reg., artt. 5-12; 16; 48, §2a; 17, §2; 22; 51; 54; 55, §3; 56; 78.

⁷⁹ Cf. Reg., artt. 5-12.

Titulus Quintus

De Docentibus

ART. 44. – Docentium ordines

- § 1. Docentes stabiles sunt professores Ordinarii aut Extraordinarii; alii docentes sunt Lectores Associati, Lectores et Invitati.
- § 2. Professores Ordinarii sunt qui pleno ac firmo iure in professorum collegium cooptantur; professores Extraordinarii sunt qui firmo sed nondum pleno iure in professorum collegium cooptantur, eo quod nondum condicionibus praescriptis in art. 46 §6 adimplerunt; Lectores Associati sunt qui in nulla Facultate sunt Ordinarii nec Extraordinarii et ad triennium assumuntur; Lectores sunt qui in nulla Facultate sunt Ordinarii nec Extraordinarii et per semestrem vel annum aliquos cursus docent; Invitati appellantur qui, cum sint Ordinarii vel Extraordinarii in alia Facultate vel aequipollentibus meritis gaudeant, per semestrem vel annum ad docendum vocantur.
- §3. Dedicatio Professoris stabilis et Lectoris Associati Universitati esse potest sive plena sive partialis, iuxta principia in *Ordinationibus Universitatis*⁸⁰ statuta.
- § 4. Professores Ordinarii et Extraordinarii atque Lectores Associati addicuntur uni tantum Facultati; ad docendum in alia Facultate Universitatis a Decano mitti possunt; ad docendum vero in aliis institutionibus, Rectoris consensum scriptum obtinere debent.

ART. 45 – Assistentes

Ad docentes studentesque adiuvandos, Assistentes ad semestrem vel ad annum assumi possunt.

ART. 46 – Condiciones ad nominationem

- § 1. Ut quis ad munus Assistentis admittatur, requiritur ut saltem licentia vel aequipollenti titulo et debita competentia praeditus sit.
- § 2. Ut quis ad munus Lectoris advocetur, requiritur ut titulo doctoratus praeditus sit aut congrua competentia polleat, aliis titulis vel scriptis probata.
- § 3. Ut quis tamquam Invitatus arcessetur, requiritur ut in alia Facultate professor Ordinarius vel Extraordinarius sit vel aequipollentibus meritis gaudeat.
- § 4. Ut Lector Associatus accipi possit, requiritur ut per tres annos hac in Universitate cum satisfactione docuerit tanquam Lector.
- § 5. Ut quis in gradum professoris Extraordinarii Facultati aggregetur requiritur ut propositis Universitatis faveat et, praeter dissertationem vel eius partem, alia scripta qualitatis scientificae ediderit, saltem per tres annos ut Lector Associatus in hac Universitate docuerit, habilitatem paedagogicam ad docendum demonstraverit atque spiritum cooperationis in docendo, in investigando et Facultati sese devovendi ostenderit.
- § 6. Ut quis ad gradum professoris Ordinarii promoveatur, requiritur ut per tres annos hac in Universitate ut professor Extraordinarius docuerit, durante hac periodo nova scripta qualitatis scientificae ediderit atque spiritu collaborationis eluxerit.
- § 7. Ad aggregandum in gradum Professoris stabilis illum qui in alia institutione academica iam docuerit, pro condicionibus in §§ 5 et 6 requisitis, ratio habeatur tum magisterii in ea exerciti et scriptorum editorum tum gradus quo in illa Institutione academica gaudebat.
- § 8. Condicionibus in §§ 5 et 6 descriptis alia merita scientifica aequipollentia substitui possunt.

⁸⁰ Cf. Reg., art. 59.

ART. 47 – Docentium nominatio

- § 1. Professores vero Ordinarii et Extraordinarii, Rectore proponente, iuxta modum procedendi in *Ordinationibus Universitatis*⁸¹ statutum, a Vice-Magno Cancellario nominantur et mandatum canonicum accipiunt. Assistentes Lectores et Lectores Associati, Decano proponente, a Vice-Rectore Academico nominantur; Invitati a Rectore, Decano proponente.
- § 2. Ut Decanus Lectores Associatos, Lectores, Assistentes et docentes Invitados proponere possit, requiritur consensus sui Consilii; ut autem Rector proponere quaeat nominationem Ordinariorum vel Extraordinariorum requiritur consensus Consilii Ordinariorum Facultatis.
- § 3. Ut quis aggregetur ut professor Extraordinarius, requiritur declaratio *Nihil obstat* Sanctae Sedis, ad normam art. 27, §2 Constitutionis *Sapientia Christiana*.

ART. 48 – Partitio docentium

Decanus, de consensu sui Consilii, ratione habita tum momenti materiae quam docentis competentiae, disciplinas unicuique assignandas determinet.

ART. 49 – Docentium iura et officia

- § 1. Omnes docentes vitae probitate, doctrinae integritate ac muneris diligentia iugiter praediti sint.
- § 2. Docentibus agnoscitur iusta tum in investigando tum in docendo libertas, qua efficaciter contribuere valeant ad continuum doctrinae progressum.
- § 3. Munus veritati inserviendi in rebus ad fidem spectantibus vel cum fide connexis, expleri non potest nisi in plena communionem cum vivo Ecclesiae Magisterio, imprimis Romani Pontificis. Itaque in docendi munere explendo docentes imprimis ea tradant, quae ad patrimonium acquisitum Ecclesiae pertinent vel cum eo arcte connectuntur; ea quae sunt nova ita exhibeant, ut continuitas in veritate manifestetur. Opiniones autem, sententiae et hypotheses, quas fert alta investigatio, nonnisi ut tales praesententur.
- § 4. Professores et Lectores Associati, iuxta indolem propriae dedicationis Universitati partem habere debent in activitatibus Facultatis, cursus tradendo, examina audiendo, seminaria dirigendo, dissertationes moderando atque in consiliis et commissionibus active participando iuxta rationem a Decano statutam.
- § 5. Docentes omnes, intra ambitum eorum dedicationis Universitati, praesto sint ut studentes adiuvent ad studia perficienda.
- § 6. Docentes omnes investigationes publicationesque scientificas ad proprium munus pertinere reputent. Ad hunc finem Professores stabiles, iuxta principia statuta in *Ordinationibus Universitatis*⁸², per aliquot tempus a munere docendi dispensari possunt a Vice-Rectore Academico, praevio consensu Decani.
- § 7. Professores Ordinarii et Extraordinarii stabiliter in regione Urbis residere debent.

ART. 50 – Cessatio a munere docendi

- § 1. Expleto autem anno academico quo 70um aetatis annum attingunt, professores Ordinarii et Extraordinarii fiunt ipso facto Emeriti et a proprio munere liberantur. Possunt tamen usque ad 75um aetatis annum docere ad normam *Ordinationum Universitatis*⁸³.
- § 2. Consilium Directivum concedere potest, ad normam *Ordinationum Universitatis*⁸⁴, titulum professoris Emeriti illis professoribus Ordinariis et Extraordinariis qui Universitatem reliquerint

⁸¹ Cf. Reg., artt. 49-51.

⁸² Cf. Reg., art. 61, §2.

⁸³ Cf. Reg., art. 55, §3.

⁸⁴ Cf. Reg., art. 55, §3.

expleto 65° aetatis anno vel etiam antea si saltem per 15 annos Universitati ut stabiles addicti fuerint.

§ 3. Lectores Associati, Lectores, Assistentes et docentes Invitati, expleto anno academico quo 70um aetatis annum attingunt, non amplius nominantur.

ART. 51 – De suspensione vel dimissione a munere docendi

§ 1. Professores a munere docendi gravi de causa, praesertim doctrinali, eis praevis notificanda, a Vice-Magno Cancellario, audito Consilio Directivo, suspendi vel dimitti possunt, ratione habita de modo procedendi descripto in *Ordinationibus Constitutionis Sapientia Christiana* art. 22, §§ 2 et 3.

§ 2. Causae graviores, quae dimissionem a munere docendi secum ferre possunt, sunt praesertim: sustinere doctrinam sive ab Ecclesia damnatam vel periculosam aestimatam sive nocentem studentibus; contra moralem catholicam externe agere; activitates etiam extrauniversitarias principiis huius Universitatis adversantes exercere. Causae vero minus graves, quae aliis poenis puniri possunt, adnumerantur in *Ordinationibus Universitatis*.⁸⁵

§ 3. Quae in citato art. 22, §§ 2 et 3 *Ordinationum Constitutionis Sapientia Christiana* dicuntur de Magno Cancellario, intelliguntur de Vice-Magno Cancellario; itemque consilium, de quo in §2 eiusdem articuli, intellegitur Consilium Directivum, quod, Rectore proponente, commissionem competentem nominare potest ut rem accurate examinet eique referat.

§ 4. Lectores Associati, Lectores et docentes Invitati, dum munere funguntur, gravi de causa, praesertim doctrinali, eis praevis notificanda, a Rectore, audito Decano et proprio Consilio, a munere docendi hac in Universitate suspendi vel dimitti possunt.

⁸⁵ Cf. Reg., art. 64, §3.

Titulus Sextus

De ratione studiorum

PARS PRIOR: DE STUDIIS

ART. 52 – Finis assequendus

- § 1. Studiorum curricula in singulis Universitatis Facultatibus ita ordinantur ut studentes integram et organicam formationem sibi comparare possint et per adaequatam cognitionum acquisitionem, propriam synthesim personalem attingant atque excolendi specialem aream investigationes capaces evadant.
- § 2. In obiecto cuiusvis disciplinae definiendo et in materiis seligendis, *Ordinationes Facultatis* prae oculis habeant novas scientiarum acquisitiones, peculiare orientationes Sanctae Sedis et Societatis Iesu, culturam originis studentium atque particularia requisita eorum futuri laboris.
- § 3. Simul cum investigationis et doctrinae renovatione, iuxta disciplinae indolem, dialogus promoveatur cum scientiarum cultoribus, cum fratribus christianis seiunctis, cum membris aliarum religionum, necnon cum hodierna cultura.

ART. 53 – Methodus adhibenda

- § 1. Paedagogia adhibita eo tendere debet ut studentes laboris et investigationis interdisciplinaris methodum sive privatim sive in communi acquirant atque de momento formationis continuae seu permanentis sibi suadeant.
- § 2. Iuxta principia paedagogiae ignatianae quam maxime curanda est relatio personalis docentem inter et discentem, quae complectitur non tantum transmissionem cognitionum, sed praesertim valorum naturalium atque supernaturalium, quos ut proprios Ecclesia proponit.

ART. 54 – Curricula studiorum

- § 1. Singulae Facultates, pro sua quaque indole, post formationem institutionalem varia curricula offerunt, quae studentes sive ad magisterii et laboris scientifici munera praeparent sive ad peculiariora in Ecclesia et societate munera obeunda aptos reddant.
- § 2. *Cycli Studiorum*:
- a. Primus cyclus ad gradum baccalaureatus obtinendum ordinatur; quo obtento, studens capax redditur intelligendi, tractandi et aliis illustrandi cognitiones acquisitas.
 - b. Secundus cyclus, qui supponit primum, ad gradum licentiae obtinendum ordinatur; quo obtento, licentiatum capax redditur docendi in Seminariis maioribus et in scholis superioribus non universitariis, diiudicandi et discipulandi de materiis propriae specializationis.
 - c. Tertius cyclus, qui supponit secundum, ad gradum doctoratus obtinendum ordinatur; quo obtento, doctor capax redditur docendi in Universitatibus et investigationem perficiendi ad progressum scientificum propriae disciplinae.
- § 3. *Ordinationes Universitatis*⁸⁶ statuunt de tempore intra quod studentes cyclum studiorum compleri debent.
- § 4. Insuper Facultates proponunt peculiariora programmata ad titulum *master* vel ad diploma obtinenda.

⁸⁶ Cf. Reg., art. 65, §3 e §5.

ART. 55 – Disciplinarum generalis divisio

- § 1. Disciplinae sunt sive “praescriptae”, quae finem intentum a Facultate proxime respiciunt et omnibus sunt obligatoriae, sive “optionales”, quae subsidiarie adiuvant seu complent curriculum et libere seligendae sunt a studentibus iuxta mensuram in *Ordinationibus Facultatis* designatam.
- § 2. Praesertim in secundo cyclo dantur pro uniuscuiusque specializatione disciplinae “propriae”, quae ad finem intentum magnopere conferunt, servata studentibus quadam possibilitate electionis in *Ordinationibus Facultatis* determinata; dari possunt etiam disciplinae diversis specializationibus “communes”, quas programma studiorum Facultatis determinare debet.
- § 3. Iuxta indolem uniuscuiusque cycli et disciplinae, habeantur exercitationes et seminaria, ubi studentes, sub ductu docentis, introducantur in privato et communi scientifico labore sive ad disciplinas intelligendas, sive ad auctores critice iudicandos sive ad opus scientificum evolvendum.

ALTERA PARS: DE EXAMINIBUS

ART. 56 – Examinum finis et ratio

Studentium profectus ab Universitate comprobatur eorumque progrediens selectio efficitur examinibus oralibus et scriptis necnon aliis mediis, uti activa participatione in scholis et seminariis atque dissertationibus scriptis. Consilii Facultatis est iuxta *Statuta* et *Ordinationes Facultatis* horum experimentorum modum et valorem determinare.

ART. 57 – Sessiones examinum

- § 1. Tres habentur sessiones examinum, in fine utriusque semestris et ante initium anni academici sequentis. Extra praedictas sessiones nemo examen subire potest nisi de speciali venia Decani scripto concessa.
- § 2. Examina de singulis disciplinis, ipso anno academico quo traditae sunt, subiri debent. Decanus, iusta de causa, veniam scripto concessam trasferendi examen concedere potest, intra tamen tres annos academicos a disciplina tradita.
- § 3. Examen non superatum alicuius materiae semel repeti potest; in casu particulari Decanus, audito suo Consilio, aliud permittere potest. Repetitionem examinis finalis alicuius cycli ne concedat nisi de consensu sui Consilii.
- § 4. Examen semel superatum repeti nequit.

ART. 58 – Suffragia

- § 1. Iudicium de examinibus et experimentis exprimitur suffragiis, quibus declaratur gradum idoneitatis studentis vel ad cursum prosequendum vel ad titulum academicum obtinendum.
- § 2. *Ordinationes Universitatis*⁸⁷ modum exprimendi suffragia determinent; *Ordinationes Facultatis* vero determinent computationis rationem et valorem coefficientis pro diversis gradibus vel titulis.
- § 3. De examinibus peractis studentes documentum authenticum a Secretaria Generali postulare possunt.

⁸⁷ Cf. Reg., artt. 70-71.

TERTIA PARS: DE GRADIBUS ET TITULIS ACADEMICIS

ART. 59 – Diversitas graduum et titulorum

- § 1. Gradus academici, quos Universitas auctoritate Apostolicae Sedis per Facultates conferre potest, sunt: Baccalaureatus in fine primi cycli; Licentia in fine secundi cycli; Doctoratus, in fine tertii cycli.
- § 2. Praeterea, Universitas, sive ex auctoritate Apostolicae Sedis sive propria auctoritate et ad *Statutorum et Ordinationum Facultatum* normam, alios titulos vel diplomata impertitur.

ART. 60 – Requisites ad graduum collationem

- § 1. *Ordinationes Universitatis*⁸⁸, necnon *Statuta et Ordinationes Facultatum*, definiunt annos, studia, experimenta, examina et condiciones requisitas ad singulos gradus academicos consequendos.
- § 2. Studentes, qui ad diversos gradus contendunt, accurate seligantur tam in prima admissione quam in decursu studiorum ita ut progressive scientificam maturitatem in proprio campo acquirant, ut gradus academici ab Universitate collati suum plenum valorem in mundo scientifico sortiantur.
- § 3. Nemo ad altiorem gradum academicum admittatur, nisi examine requisito peracto, suffragium in *Ordinationibus Facultatis* designatum atque titulum praecedentis cycli obtinuerit.

ART. 61 – Graduum assecutio et attestatio

- § 1. Gradus academici obtinentur ipso iure, cum omnes et singulae condiciones a *Statutis et Ordinationibus* sive *Universitatis*⁸⁹ sive *Facultatum* requisitae adimpletae fuerint.
- § 2. Post assecutionem gradus, ex officio traditur a Secretaria Generali documentum quo accurate describantur iter academicum peractum et suffragia obtenta (*Supplementum Diplomatis*); folium autem membraneum (*pergamena*) conficitur graduatorum rogatu, secundum normas in *Ordinationibus Universitatis*⁹⁰ statutas.

ART. 62 – Doctoratus ad honorem

Doctoratus ad honorem personis omni exceptione dignis et optime meritis de scientiis quae in variis Facultatibus docentur, ab Universitate conferri potest. Ad hunc titulum conferendum requiritur ut Consilium Facultatis cuius interest et Consilium Directivum propositionem approbaverint atque, obtento *Nihil obstat* Apostolicae Sedis, Vice–Magnus Cancellarius consenserit.

⁸⁸ Cf. Reg., art. 65.

⁸⁹ Cf. Reg., artt. 65 e 77.

⁹⁰ Cf. Reg., art. 75.

Titulus Septimus

De Studentibus

ART. 63 – Studentium aditus et ordines

- § 1. Facultates Universitatis illis patent qui vitae moribus ac studiis praevis idonei sint ut iis adscribantur.
- § 2. Studentes numerantur ordinarii, extraordinarii et hospites. Ordinarii dicuntur qui ad gradus academicos vel ad alios titulos contendunt; extraordinarii qui determinatum curriculum studiorum in Facultate perficiunt, quin tamen gradus academicos in hac Universitate assequi intendant vel requisita necessaria ad illum obtinendum nondum habeant; hospites qui quosdam tantum cursus frequentant.

ART. 64 – Condiciones admissionis

- § 1. Ut in Universitatem admittantur, studentes, ratione habita de iis quae a Sancta Sede requiruntur, exhibeant:
- a. documenta de vitae moribus: clerici et seminaristae a proprio Ordinario vel a Collegii Rectore concessa; membra Institutorum Vitae Consecratae vel Societatum Vitae Apostolicae a proprio Superiore vel Moderatore Maiore; ceteri a persona ecclesiastica.
 - b. documenta authentica de studiis praevis peractis et legitime absolutis, quae ab *Ordinationibus Universitatis*⁹¹ et *Facultatis*, ad quam adscribi petunt, exiguntur.
- § 2. Nemo in ullam Facultatem ut ordinarius admittitur nisi, curriculo studiorum expleto, titulum obtinuerit qui necessarius est ad admissionem in Universitatem civilem illius nationis in qua studia peregit.

ART. 65 – Inscriptio

- § 1. Ad studia in Universitate sive inchoanda sive prosequenda regularis requiritur inscriptio, modo in *Ordinationibus Universitatis*⁹² determinato.
- § 2. Nemo inscribi potest ut ordinarius qui in alios Athenaeos inscriptus sit ut ordinarius, nec adscribi ut ordinarius eodem tempore diversis Facultatibus vel Institutis huius Universitatis ad gradus academicos vel alios titulos assequendos.
- § 3. Qui in Universitatem Gregorianam vel in alterutrum ex Institutis consociatis, de quibus in art. 1, §2, inscriptus est sine nova inscriptione in quovis ex his Athenaeis lectiones ut hospes frequentare potest, ita tamen ut normas in singulis Institutis praescriptas, praesertim quoad examina, fideliter servet.

ART. 66 - Valor Studiorum alibi peractorum

- § 1. Studia in aliis Universitatibus vel Facultatibus Ecclesiasticis peracta et gradus academici ibidem obtenti agnoscuntur.
- § 2. *Ordinationes Facultatum* determinent criteria circa rationem quae habenda sit studiorum peractorum in Universitatibus vel Institutis quae potestate conferendi gradus academicos ecclesiasticos carent.
- § 3. Nemo gradum ullum academicum vel titulum hac in Universitate consequatur nisi saltem per annum respectivae Facultati adscriptus fuerit et omnibus requisitis satisfecerit quae, a *Facultatis Ordinationibus*, praescribuntur.

⁹¹ Cf. Reg., artt. 74-75.

⁹² Cf. Reg., artt. 80-82.

ART. 67 – Studentium iura

- § 1. Studentes Universitatis, per delegatos libere ab ipsis iuxta *Ordinationes Universitatis*⁹³ electos, ius habent participandi voce activa in organis collegialibus respicientibus vitam et regimen Universitatis, ad normam articulorum art. 28, §2, g) et art. 37, §2, b).
- § 2. Studentes libere constituere possunt Associationes seu Organizationes, quae sive ad bonum commune eorundem sive ad vitam Universitatis et Facultatum sive ad propriam formationem conferunt; quaeque, si fines persequantur cum activitate academica proxime connexos, exhibitis statutis, ab ipsa Universitate vel a Facultatibus agnosci possunt.
- § 3. Attenta peculiaritate huius Universitatis, quae in paedagogia ignatiana nititur, omnes studentes ius habet petendi a docentibus ut eos personaliter prosequantur in studiis perficiendis.
- § 4. Omnes in Universitatem inscripti accessum habent ad structuras studii, investigationis, spiritualitatis et relaxationis quae ab Universitate offeruntur.

ART. 68 – Studentium officia

- § 1. Cum Universitas Gregoriana sit “universitas nationum” ubi coadunantur studentes et docentes ex diversis culturis et ditissimis regionibus provenientes, omnibus competit officium struendi communitatem universitariam ubi relationes personales et solidaritas luceant ita ut, propria cultura et identitate retenta, alumni parentur ad diversa munera in Ecclesia et societate, in dies magis magisque pluralistica et interculturali obeunda.
- § 2. Studentes tenentur ad lectionum, seminariorum, exercitationum frequentationem et ad creditos perficiendos quos *Statuta* et *Ordinationes uniuscuiusque Facultatis* determinant.
- § 3. Ante initium curriculi studiorum, omnes studentes illam cognitionem linguae italicae habere debent quae sufficiens sit ad lectiones cum fructu intelligendas et ad partem activam in seminariis habendam. Progrediente studio, alias quoque linguas cognoscere debent quae in *Ordinationibus Facultatis* determinantur.
- § 4. In ipso actu primae inscriptionis studentes obligationem contrahunt fideliter observandi *Universitatis* et *Facultatum Statuta et Ordinationes*, atque *Normas* quae regunt Sectiones non academicas Universitatis atque cetera omnia quae ad ethicam universitariam pertinent.
- § 5. Violationes obligationum studentium, sanctionibus praescriptis in *Ordinationibus Universitatis*⁹⁴ obnoxiae sunt, salvo iure recurrenti.

ART. 69 – Coetus Repraesentantium Studentium

- § 1. Coetus Repraesentantium Studentium est organum dialogi inter studentes et Universitatis Moderatores ad bonum communitatis universitariae prosequendum. In eo disceptantur incoepta tam Universitatis quam studentium quae respiciunt totam Universitatem.
- § 2. Coetus, cui Vice–Rector Universitatis praest, constituitur ex Repraesentantibus studentium, ab ipsis libere electis ad normam *Ordinationum Universitatis*⁹⁵.
- § 3. Coetus, qui voce consultiva gaudet, semel in mense convocatur et quae a maiori parte praesentium postulantur, submittenda sunt auctoritatum competentium examini.

⁹³ Cf. Reg., art. 85, §3 e §4.

⁹⁴ Cf. Reg., art. 87.

⁹⁵ Cf. Reg., art. 85, §3 e §4.

Titulus Octavus

De Re Oeconomica

ART. 70 – Capacitas bona possidendi et administrandi

Universitas Gregoriana, utpote persona iuridica canonice erecta et civiliter quoque agnita, capax est acquirendi, possidendi, administrandi et alienandi bona temporalia⁹⁶. iis servatis quae a lege civili, canonica et propria Societatis Iesu statuuntur⁹⁷.

ART. 71 – De administratione bonorum

- § 1. Cum bona Universitatis sint bona ecclesiastica, Romanus Pontifex, vi primatus regiminis, est supremus administrator ac dispensator illorum bonorum⁹⁸. Tamen, utpote bona propria personae iuridicae Societatis Iesu, eorum superior vigilantia et administratio competunt Praeposito Generali Societatis Iesu.
- § 2. Quotannis totius administrationis ratio conficiatur quae, a societate specializata recognita, Vice-Magno Cancellario mittatur qui, si opportunum aestimaverit, etiam inspectionem instituere potest.
- § 3. De penso oeconomico annuo ab Oeonomo parato et a Consilio Oeconomico examinato ac approbato, Consilium Directivum decedit; illum tandem Vice Magnus Cancellarius approbat.
- § 4. Rei oeconomicae ordinaria administratio penes Rectorem est, qui eam, per Vice-Rectorem Administrativum, ab Oeonomo coadiuvato, exercet.
- § 5. In hoc munere gerendo, Rectori adiutorium praestant Consilium Oeconomicum et Consilium de pecuniae collocatione.
- § 6. Ad actus extraordinariae administrationis perficiendos, Consilii Oeconomici sententia, Consilii Directivi consensus et Vice-Magni Cancellarii venia requiruntur, qui, si casus ferat, licentiam Apostolicae Sedis obtinere debet⁹⁹.

ART. 72 – De acquisitione bonorum

- § 1. Servatis de iure servandis, Universitas bona mobilia vel immobilia acquirere potest vi donationum, alienationum, tributorum studentium vel quocumque alio legitimo modo.
- § 2. Tributa studentium, a Consilio Oeconomico et a Consilio Directivo determinata, approbanda sunt a Vice-Magno Cancellario.
- § 3. Congruum adiuventum offeratur, modo a Vice-Rettore Universitario quotannis determinato, studentibus, ne tributorum ratione studia illis praecludantur, qui spem faciant se ea felici successu absoluturos esse.

ART. 73 – Retributiones

Universitatis docentibus et collaboratoribus omnibus iusta stipendia solvantur:

- a. sodalibus Societatis Iesu, congrua summa iuxta opus praestitum in favorem Universitatis;
- b. qui non sunt Societatis Iesu sodales iuxta principia legis Italiae assumantur cum contractu laboris operi praestito congruenti¹⁰⁰.

⁹⁶ Cf. CIC can. 634, §1.

⁹⁷ Cf. *Istruzione sull'Amministrazione dei Beni* (Ed. Italiana), Roma, Curia Gen. Soc. Iesu, 2005.

⁹⁸ Cf. CIC can. 1273.

⁹⁹ Cf. CIC can. 638, §3.

¹⁰⁰ Cf. CIC can. 1286, §2.

Titulus Nonus

Sectiones Generales non academicae

ART. 74 – Diversitas Sectionum Generalium non academicarum

- § 1. Sectiones Generales non academicae Universitatis aliae sunt principales, eo quod directe colliguntur cum fine Universitatis, aliae vero auxiliares, eo quod indirecte tantum ad illum referuntur.
- § 2. Sectiones generales principales sunt: Capellania Universitatis, Secretaria Generalis, Oeconomatus, Bibliotheca, Officium Laboris, Archivum atque Systema Informaticum.
- § 3. Ad instantiam Vice-Rectoris Administrativi, Sectiones Auxiliares a Rectore, audito suo Consilio, sive stabiliter sive ad tempus constitui et supprimi possunt, iuxta diversas necessitates Universitatis.

ART. 75 – Capellania Universitatis

- § 1. Iuxta indolem propriam Universitatis Gregoriana Capellania subsidia spiritualia praebet communitati Universitatis.
- § 2. Moderatur a Capellano Universitatis, qui sodalis Societatis Iesus esse debet et nominatur a Rectore, audito Consilio Directivo, inter candidatos qui specialibus dotibus ad hoc ministerium exercendum gaudeant et munera sua exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰¹.
- § 3. Capellanus est membrum ex officio Senatus Universitatis, cui de activitatibus et incoeptis Capellaniae saltem semel in anno informare debet.

ART. 76 – Secretaria Generalis

- § 1. Est Sectio Generalis quae fidem facit publicam documentorum ac titulorum academicorum ab Universitate collatorum, eorum conservationem curat atque omnia necessaria ad rectam ordinationem lectionum et examinum nota facit.
- § 2. Moderatur a Secretario Generali qui nominatur a Rectore, audito Consilio Directivo, inter candidatos qui speciali formatione et experientia ad hoc officium exercendum gaudeant et munera sua exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰².
- § 3. Secretarius Generalis est membrum ex officio Senatus Universitatis, cui de statu et incoeptis Secretariae Generalis saltem semel in anno informare debet.

ART. 77 – Oeconomatus

- § 1. Ab Oecono gesto, coadiuvat Vice-Rectorem Administrativum in ordinaria administratione Universitatis, praesertim quoad inspectionem introitorum et sumptuum vertentis anni (*contabilità*), et elaborationem oeconomicae aestimationis advenientis anni (*preventivo*).
- § 2. Oeconomus a Rectore, audito Consilio Directivo, nominatur inter candidatos qui specialem peritiam in re oeconomica habeant et munera sua exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰³.
- § 3. Oeconomus est membrum ex officio Senatus Universitatis, cui de ratione oeconomica annua Universitatis saltem semel in anno referre debet.

¹⁰¹ Cf. Reg., art. 102.

¹⁰² Cf. Reg., art. 103.

¹⁰³ Cf. Reg., art. 105.

ART. 78 – Bibliotheca

- § 1. Patrimonium librarium Universitatis maxima cum cura conservandum atque iuxta exigentias academicas continuo augendum est, ita ut Bibliotheca semper instructa sit libris, periodicis atque hodiernibus mediis informaticis, quae tam ad docendum quam ad discendum et investigandum necessaria subsidia praebeant.
- § 2. Moderatur a Bibliothecario qui a Rectore, audito Consilio Directivo, nominatur inter candidatos qui specialem peritiam in re bibliothecaria habeant et munera sua exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰⁴. Bibliothecarii est decidere, de consensu Consilii Bibliothecae, de planificatione et innovatione Bibliothecae, de penso oeconomico, de ratione acquisitionum ac de aliis maioris momenti. Decisiones Bibliothecarii a Vice-Rectore Academico confirmari debent.
- § 3. Consilium Bibliothecae, cui praeest Bibliothecarius, constituitur e quattuor Professoribus stabilibus vel Lectoribus Associatis ex diversis Facultatibus, a Rectore audito suo Consilio ad triennium nominatis, et saltem ter in anno a Bibliothecario convocari debet.
- § 4. Bibliotheca habeat *Normas* proprias, a Consilio Bibliothecae propositas et a Consilio Directivo approbatas.
- § 5. Bibliothecarius est membrum ex officio Senatus Universitatis, cui de statu ac incoeptis Bibliothecae saltem semel in anno informare debet.

ART. 79 - Officium Laboris

- § 1. Huius Officii est quaestiones laborales tractare quae spectant ad collaboratores docentes et non docentes.
- § 2. Moderator Officii, proponente Vice-Rectore Administrativo, a Rectore audito Consilio Directivo nominatur et munera sua exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰⁵.

ART. 80 – Archivum

- § 1 In Archivio Universitatis accurate ordinateque conservantur documenta respicientia tam historiam Societatis Iesu quam praeteritam et hodiernam vitam Universitatis Gregorianaе, necnon scripta et notas nonnullo Professorum qui membra fuerunt Societatis Iesu. Iuxta proprias *Normas* a Consilio Directivo approbatas et sub ductu Archivistae, documenta presto sunt investigatoribus sive internis sive externis Universitati.
- § 2. Archivista a Rectore, audito Consilio Directivo, designatur inter candidatos qui specialem peritiam in re archivistica habeant et munus suum exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰⁶.
- § 3. In suo munere exercendo Archivista adiuvatur a Consilio Archivi, constituto e quattuor doctibus Universitatis a Rectore, audito suo Consilio, ad triennium nominatis.
- § 4. Archivista de statu ac incoeptis Archivi Senatui Universitatis informare debet cum Rector id opportunum duxerit.

ART. 81 – Sectio Systematis Informatici

- § 1. Huius sectionis est suppeditare instrumenta informatica necessaria ad vitam et organizationem Universitatis.
- § 2. Illam gerit Moderator, a Rectore, audito Consilio Directivo, nominatus inter candidatos qui specialem peritiam in re informatica habeant, et munus exercet ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰⁷.

¹⁰⁴ Cf. Reg., art. 106.

¹⁰⁵ Cf. Reg., art. 107.

¹⁰⁶ Cf. Reg., art. 108.

¹⁰⁷ Cf. Reg., art. 109.

§ 3. Sectio Systematis Informatici habeat *Normas* proprias, a Rectore, audito suo Consilio approbatas.

§ 4. Moderator Sectionis Systematis Informatici est membrum ex officio Senatus Universitatis, cui de statu et incoeptis servitii informatici saltem semel in anno referre debet.

ART. 82 - Aliae Secretariae

Constitui possunt, iuxta necessitates academicas Universitatis, aliae secretariae peculiare ad normam *Ordinationum Universitatis*¹⁰⁸.

ART. 83 – Sectiones Auxiliares

§ 1. Sunt quae, sub ductu Vice–Rectoris Administrativi, curant ut aedificia servantur et instrumenta Universitatis opportune innoventur.

§ 2. Qui Sectiones Auxiliares gerunt a Vice–Rectore Administrativo, approbante Rectore, nominantur; eorum munus *Normis* particularibus a Rectore approbatis determinatur.

¹⁰⁸ Cf. Reg., art. 110.

INDEX

<i>Proemium historicum</i>	pag. 3
<u>Titulus Primus: De natura Pontificiae Universitatis Gregoriana</u>	
ART. 1 – Identitas Universitatis	pag. 5
ART. 2 – Ius gradus academicos conferendi	pag. 5
ART. 3 – Peculiaris ad Apostolicam Sedem habitudo	pag. 5
ART. 4 – Relatio inter Universitatem et Societatem Iesu	pag. 6
ART. 5 – Personalitas iuridica ecclesiastica et civilis	pag. 6
ART. 6 – Relationes internationales et nationales	pag. 6
ART. 7 – Peculiaris cum Collegiis nexus	pag. 7
<u>Titulus Secundus: De fine Pontificiae Universitatis Gregoriana</u>	
ART. 8 – Finis proprius	pag. 8
ART. 9 – Qualitas investigationis et docentiae	pag. 8
ART. 10 – Interdisciplinarietas	pag. 8
ART. 11 – Formatio intellectualis	pag. 9
ART. 12 – Formatio integralis	pag. 9
<u>Titulus Tertius: De structura Universitatis Gregoriana</u>	
ART. 13 – Pluralitas organorum academicorum	pag. 10
ART. 14 – Facultas	pag. 10
ART. 15 – Institutum	pag. 10
ART. 16 – Centrum Interdisciplinare	pag. 10
ART. 17 – Centrum investigationis	pag. 11
ART. 18 – Sectio	pag. 11
<u>Titulus Quartus: De regimine Universitatis Gregoriana</u>	
<i>PARS PRIOR: REGIMEN GENERALE UNIVERSITATIS</i>	
SECTIO A : AUCTORITATES PERSONALES TOTIUS UNIVERSITATIS	
ART. 19 – Magnus Cancellarius	pag. 12
ART. 20 – Vice-Magnus Cancellarius	pag. 12
ART. 21 – Rector	pag. 12
ART. 22 – Vice-Rectores	pag. 14
ART. 23 – Vice-Rector Universitatis	pag. 14
ART. 24 – Vice-Rector Academicus	pag. 14
ART. 25 – Vice-Rector Administrativus	pag. 15
SECTIO B : AUCTORITATES COLLEGIALES TOTIUS UNIVERSITATIS	
ART. 26 – Consilium Rectoris	pag. 16
ART. 27 – Consilium Directivum	pag. 16
ART. 28 – Senatus Universitatis	pag. 17
ART. 29 – Commissiones academicae	pag. 17
ART. 30 – Consilium Oeconomicum	pag. 18
ART. 31 – Consilium de pecuniae collocatione	pag. 18
<i>PARS SECUNDA: REGIMEN FACULTATUM</i>	
SECTIO A : AUCTORITATES PERSONALES FACULTATUM	
ART. 32 – Decanus Facultatis	pag. 19
ART. 33 – Moderator Sectionis Facultatis	pag. 19
ART. 34 – Director Centri Interdisciplinaris	pag. 19

ART. 35 – Director Centri Investigationis	pag. 20
SECTIO B : AUCTORITATES COLLEGIALES FACULTATUM	
ART. 36 – Consilium Decani	pag. 21
ART. 37 – Consilium Facultatis	pag. 21
ART. 38 – Consilium Ordinariorum	pag. 22
ART. 39 – Consilium Professorum .	pag. 22
<i>PARS TERTIA: DE MODO PROCEDENDI GENERALI IN ORGANIS COLLEGIALIBUS</i>	
ART. 40 – De natura organorum collegialium Universitatis	pag. 23
ART. 41 – Convocatio	pag. 23
ART. 42 – Modus procedendi cum agitur de negotiis	pag. 23
ART. 43 – Modus procedendi cum agitur de personis	pag. 23
<u>Titulus Quintus: De Docentibus</u>	
ART. 44. – Docentium ordines	pag. 25
ART. 45 – Assistentes	pag. 25
ART. 46 – Condiciones ad nominationem	pag. 25
ART. 47 – Docentium nominatio	pag. 26
ART. 48 – Partitio docentium	pag. 26
ART. 49 – Docentium iura et officia	pag. 26
ART. 50 – Cessatio a munere docendi	pag. 26
ART. 51 – De suspensione vel dimissione a munere docendi	pag. 27
<u>Titulus Sextus: De ratione studiorum</u>	
<i>PARS PRIOR: DE STUDIIS</i>	
ART. 52 – Finis assequendus	pag. 28
ART. 53 – Methodus adhibenda	pag. 28
ART. 54 – Curricula studiorum	pag. 28
ART. 55 – Disciplinarum generalis divisio	pag. 29
<i>ALTERA PARS: DE EXAMINIBUS</i>	
ART. 56 – Examinum finis et ratio	pag. 30
ART. 57 – Sessiones examinum	pag. 30
ART. 58 – Suffragia	pag. 30
<i>TERTIA PARS: DE GRADIBUS ET TITULIS ACADEMICIS</i>	
ART. 59 – Diversitas graduum et titulorum	pag. 31
ART. 60 – Requisite ad graduum collationem	pag. 31
ART. 61 – Graduum assecutio et attestatio	pag. 31
ART. 62 – Doctoratus ad honorem	pag. 31
<u>Titulus Septimus : De Studentibus</u>	
ART. 63 – Studentium aditus et ordines	pag. 32
ART. 64 – Condiciones admissionis	pag. 32
ART. 65 – Inscriptio	pag. 32
ART. 66 – Valor Studiorum alibi peractorum	pag. 32
ART. 67 – Studentium iura	pag. 33
ART. 68 – Studentium officia	pag. 33
ART. 69 – Coetus Repraesentantium Studentium	pag. 33
<u>Titulus Octavus: De Re Oeconomica</u>	
ART. 70 – Capacitas bona possidendi et administrandi	pag. 34

ART. 71 – De administratione bonorum	pag. 34
ART. 72 – De acquisitione bonorum	pag. 34
ART. 73 – Retributiones	pag, 34

Titulus Nonus : Sectiones Generales non academicae

ART. 74 – Diversitas Sectionum Generalium non academicarum	pag. 35
ART. 75 – Capellania Universitatis	pag. 35
ART. 76 – Secretaria Generalis	pag. 35
ART. 77 – Oeconomatus	pag. 35
ART. 78 – Bibliotheca	pag. 36
ART. 79 – Officium Laboris	pag. 36
ART. 80 – Archivum	pag. 36
ART. 81 – Sectio Systematis Informatici	pag. 36
ART. 82 – Aliae Secretariae	pag. 37
ART. 83 – Sectiones Auxiliares	pag. 37